

AB

155626





NONNVLLORVM FALSISSIMAS SENTENTIAS
DE
POETARVM CHARACTERIBVS
QVIN ETIAM POESI IPSA
CRITICAE DISQVIVISIONI SVBIIICIT
ET AD
ACTVM ORATORIVM
IN
GYMNASIO ILLVSTRI REFORMATORVM REGIO
DIE II. MAII HORA 2 POST MERID. MDCCLXXVI
PVBLICE SVBEVNDVM CELEBRANDVMQVE
OMNES HVMANITATIS PATRONOS
ET AMICOS
OFFICIOSISSIME INVITAT
FRIDERICVS CAROLVS ATHENSTAEDT
GYMN. RECTOR.



HALAE
TYPIS CVRTIANIS.

177

NONNILLORVM TARRIEMAS SUTILLIAS

TOBTANNVS GEARAORIBVS

QUINTIANTIA FORI HRA

CRITICAE DISQVIRITIONI SVTICIT

A CTVM ORATOIVM

GVARVOVIASTRIPERITOMV

OMNES HVMANI APTI

FREDERICVS CAROLVS

HALLA

CVRIVS





Auctorum, quos diurna nocturnaque manu labore et contentione versamus, ingenium, voluntatem, consilium, vitaeque rationem exquirere, non vtile tantum, verum etiam necessarium est. Sensum enim verborum integrum et sententiarum pondera, omnemque dicendi vim tum demum rite tenemus, cum mores animique affectus scriptoris dilucide conspiciamus; et si forte malae notae fuerit idem, semper verendum est nobis, ne illum legentes ipsi deturpemur. Qua in re quantum insit damni, quantumque periculi, neminem nisi harum rerum plane ignarum fugit. Nec est omnino, cur nos affici moribus auctorum, quos terimus studio, inficiemur, cum eorum semper sit aliquis, cuius potissimum similes euadere cupimus. Certe quem tractamus auctorem, cum eo versamur tamquam viuo, nec possumus sine summa impetrare diligentia, vt vitiorum, quibus ille conspurcatus sit, non aliquid ad mentem nostram adfluat, adhaerescat. Itaque vel maxime laudamus vitarum scriptores tales, qui doctorum virorum imagines et praesertim eorundem mores viuus coloribus delinearunt, vt Laertius aliique plures fecerunt: ac Quintiliano recte fauemus, vbique ad scriptorum legendorum propria, attributa et modos respicienti, abhorrentique ab iis, qui oratorem suum, virum bonum nempe futurum, reddere queant deteriozem, etiamsi sicut doctissimi. Cuius rei argumentum affert bonorum omnium consensione firmum te-

A 2

Aun-



Quamque, quod morum debeat nobis multo potior, quam doctrinae cura esse. Porro quantum ad animi motus regendos valeant libri, exemplo satis declaratum est illius Cleombroti Ambraciorum quem Cicero in Tusculanis *) memorat lecto, Platonis Phaedone, tanto beatoris esse vitae desiderio incensum, ut huius potiendae causa e muro in mare se abjiceret. At cum tam ardens atque occulta nocendi vis in sit libris quibusdam, facileque contingat, ut in rebus aequae subitit atque angustis, quo animo affectuque scriptum opus quaecumque sit, eodem impertiat legentem, quae de auscultatione circumspecte adhibenda sapientissime praecepit Plato **) illa ipsa ad lectionem translata etiam hic obseruare necesse erit, dum Socrates inquit apud eum: caue o! beate adolescens, ne in summum iacturae discrimen, quae tibi carissima sunt, adducas. Nam longe grauius periculum est in disciplinis, quam cibus emendis. Etenim qui eculenta emit et potulenta, potest, antequam his vescatur, in aliis quibusdam vasculis illa domum deferre, ibique deposita diligenter examinare, et advocato aliquo istarum rerum perito, quid edendum bibendumue sit, quid non, quantumque et quando, deliberare. Quamobrem haud graue est in emendo periculum. Disciplinas autem non licet in alio vase transferre, sed necesse est, ut qui emit eas animo capiat, et relicto pretio abeat, intra se ferens, inquinatusque iam vel ad meliora prouectus.

Poetarum autem affectiones hoc magis inquirendae esse videntur, quod ipsi reliquos facultate ingenii antecellant, et facile verbis obscenis dulciores in animos nostros influant. Qui si nimis molles et lasciu, prae primis in amatoris suis, iocentur, facileque inconstantes et tenellos, dictorum suauitate improviso teneant animos, multa sane in iis legendis cautione opus esse videtur. Ast quamuis inter veteres et recentiores vates quidam sint procaces, et genio suo festiuo et lepido ultra modum indulgentes, non tamen eos confestim distamare et condemnare lubet, ob lusus suos ingenii alias pulchros, verum castas aures aliquantulum laedentes. Neque enim Hieronymo accedimus, ludicra Poetarum carmina ceu Daemonis cibum respuenti; neque illis, qui quoties Tibullum legere cogentur, positis humi genibus Deum orabant, ne sibi salutique suae lectionem noxiam esse sineret ***) sed magis bonorum approbatione dignam iudicamus illorum operam, qui quacumque ratione maculas Poesi, nobilissimae omnium scientiae, antiquissimae Philosophiae ac Theologiae abstergendas putarunt. Quemadmodum fecerunt viri boni et sapientes, Strabo in Geographia

*) Tuscul. Quaest. Lib. I.

**) Lib. XVII. in Protagora vel Sophista.

***) Vid. Erythr. Pinacot. II. p. 159.

phia sua disputans contra Eratostenem; Plutarchus in elegantissimo libro, quomodo iuuenem poemata oporteat audire; Basilus M. in oratione de vilitate e graecis auctoribus capienda, qua Poesin homericam laudem esse virtutis persuadet; deinde Poetae ipsi praestantes, inter quos fulget Hieron. Vida episcopus, in suo carmine de arte poetica excellenter scripto; itemque Horatius originem, corruptionem instaurationem huius diuinæ scientiæ insigniter edocens. Etiam recentiorum quidam ad hanc rem aliquid commodi scriptis suis atulisse videntur; verum quia Poetam hi reprehendunt, non hunc vel istum corruptorem artis, ingenio suo male abutentem, atque adeo Poesin ipsam in capitis periculum adducunt; visum est nobis aequum, eiusdem patrocinium suscipere, et de illis in medium proferre nonnullos, qui in iudicandis poetarum characteribus procul errent, immo interdum artem ipsam friuolis et manifeste falsis adgrediantur conuiciis.

Satis notus est S. Evremondus illustri genere natus, et varia doctrina inter praestantissimos Galliae scriptores annumeratus a civibus suis, ita ut ipse Fontana, acutissimus vir, multo sermone celebrare eum non dubitet, quod de Religione, civili ac morali Philosophia, Historia, Poesi, Rhetorica, pietate ipsa, pari cum laude tradet, compluriumque consensu is sit, qui et flores in viis maxime tritis inueniat, et argumenta valde sterilia fertilitate ingenii sui fecundet ac locupletet. Vere quoque eum antiquorum monumentorum admiratorem deprehendimus vbique maximum; et quamvis ingenue graecarum litterarum se rudem profiteatur *), tamen de latinis praefcis classicis, oratoribus, historicis ac Poetis, nec non de recentioribus Italis, Gallis, Hispanis, Anglis cum cura et solertia interdum iudicat. Inprimis autem quasi Deorum aliquo dono et munere sese nobis commendat, et diuino spiritu afflatum se ostendit, tam in operibus suis passim, quam vel maxime Tomo quinto, quippe qui ex carminibus eius compositus totus est. Sed omittamus laudes, quibus Musa illius ad Parnassi apicem extollitur, et consideremus penitus eiusdem de Poetis iudicium. Atque hic quidem prae aliis sibi deligendum putauit C. Petronium Nerone dignum elegantiae vel potius nequitiae arbitrum, versificatorem plebeium, hominem miserimum **). Quem is propterea forte, quod Gallos pingendis amoribus superet, excellentem Poetam facit. Neque id solum; verum etiam tanquam rationem asserti sui redditurus libere pronuntiat ac bona cum fide: Poetam praestantem et eminentem plerumque nequam esse hominem. Quod quia secus est, et in

A 3

multo-

*) Oeuvres mêlées de S. Evr. Tom. I. p. 241,

**) Oeuvres mêlées Tom. I. pag. 243. seq.



multorum maximorumque virorum, in ipsius denique artis nobilissimae opprobrium comparatum, non sine disquisitione critica praetermitti potest. Adhuc sub iudice lis est, an Petronius inter Poetas praestantiores referendus sit, cum permulti ne ipsi quidem nomen et naturam, conditionemque huius artis veram et legitimam concedant, quibus autem nos non omni ex parte assentimur; at aperte falsum dicimus, Poetam insignem esse fere hominem improbum et nullius frugis.

Ingenium huic plane non denegamus, sed astute sane et nequiter ingeniosum se praebet immo audacem dum multas res antiquis ex artibus collectas inverecundius tractat; idque solum nondum efficit Poetam eximium admirandumque. Recte igitur quaeritur, historia vitae illius apud Tacitum in annalibus perlecta, et consideratione Grassatorum ac Iocistarum apud Gellium, vtrum his an illustribus Poetis sit annumerandus. Qui autem compositis in eam rem versiculis fercula munerae aucuparentur optimatum, hi grassatores vocabantur; iidemque iocistae quod scurrili lepore, sale, et dicacitate parum ingenua mirifice caperent conuiuas. Iam haec videamus, quam in Petronium apprime conueniant. Illi dies per somnum, nox officii et oblectamentis vitae transfigebatur. Vtque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protrulerat: habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Et dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui negligentiam prae se ferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein reuolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni assumtus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluens putaret nisi quod ei Petronius approbauisset. Vnde invidia Tigellini, quasi aduersus aemulum et scientia voluptatum potiorem. Et sic porro Tacitus. Dehinc iudicet quisquis voluerit. Nec valebit, si quis consulatum eius publicumque munus afferet in contrarium, quoniam paupertati sic prospectum fuit Petronii, non aequae turpitudinis. Deinde ut Scioppium relinquamus, in dictione illius plebeia quaedam notantem, nec Rapinum *) memoremus obiiicientem isti tantam praeceptorum ab ipso conscriptorum negligentiam, ut breui poemate de Rom. corrupt. in omnia sibi ante improbata vitia poetica prolapsus sit: ipsa Poeseos natura et indoles hunc in Poetarum numero esse non patitur. Occinit enim nobis Horatius peracute:

Ingenium cui sit, cui mens diuinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Ad

Tacit. Annal. XVI. 18. Gellius XI. 2.

*) Rapin Reflexions sur la Poetique P. II. pag. 177. Horat. Lib. I. Satyr. IV.

Ad quae si placeat conferre multa Petronii, quam sit videlicet excellens, facile patebit. Quaeso enim, magna illa, quae Poetae sonanda proponit Horatius, vbinam sunt in Petronio? Totus vero iste qui vulgo appellatur Amor, tantae leuitatis est, vt nihil videam aliud quod putem alias conferendum. In eo magnum Poetam quare, et nubem inuenies pro Junone. Ipse Ouidius in exilio demum egregius, amores leues, faciles, remissos, tenues; iocos et lusus facit, non praeclara opera: imo vel ingenium sibi adimit in iis ac vires imminutas esse queritur: *).

— — — Arcus et ignis

Ingenii vires comminere mei.

Ad leue rursus opus, iuuenilia carmina veni.

— — — Tenuis mihi campus aratur,

Illud erat magnae fertilitatis opus.

Ne tamen omne meum credas opus esse remissum;

Saepe dedi nostrae grandia vela rati.

Nec est sane inter veteres Poetas vnus, qui his dissonet contrarium sentiat. Quibus accedit Quintilianus **) de Alcaeo iudicans, et Ob: Gifaninus, qui Dantem laudans, negat eadem facilitate, Philosophiae Theologiaeque intima, ac virginum lusus et amantium conuiuia scribi posse, hacque de causa Petrarcham Danti postponit. Ad summam: nihil cum sit voluptate turpius, nihil homine ingenuo multo indignius, sequitur inde sua sponte, vt is, qui in ea pingenda labores ponat extremos, omnino abiectus, vilissimus Poetarum, immo vix ac ne vix quidem talis habendus sit. Quare ait Horat. in Arte poet:

— — — Mediocribus esse Poetis

Non homines, non Di, non concessere columnae.

Sic animis natum inuentumque poema iuuandis

Si paulum summo discessit vergit ad imum.

Quod si quis finem bonorum voluptatem putet hic Petronium praestantem vatem laudet. Contra, quibus ea vox pecudum esse videtur, non hominum, hic vt amica luto sus omnium optime grunnire censebitur. Neque iuuabitur iste miser illa ostentatione sua: et ego Poeta sum, et vt spero non humiliissimi spiritus, si modo aliquid coronis credendum est, quas etiam ad imperitos gratia deferre solet. Quippe cui regeus illud, inter strepit anser olores, et Ciceronis effatum lepidum atque facetum: sus rostro si hami litteram A impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii ab ea potuisse describi? ***)

*) Ovid. Trist. Lib. II.

**) Institutt. Orat. X. I. Gifan. Apol. pro Post. pag. 496.

***) Lib. de diuinat.

Iam



Iam qui frugi homo non sit, eundem ne Poetam quidem fieri bonum posse ac eximium, ipsa artis nobilissimae natura suadet atque conditio. Poetices primarius vel etiam omnis finis est, vtilia iucunde docere, id est, modo quodam admirabili efficacique bonos mores vitamque adiuuare hominum, ad animos pertractandos et ad excipiendas eorum voluntates, ita vt nihil aut auribus aut mentibus dulcius, aptius, plenius, et g. auius percipi possit. Ita censuere, qui de arte poetica quidquam recte praeceperunt, vt Aristoteles, Plutarchus, Horatius, Vida, Vossius, Scaliger, Heinsius, Casaubonus, et ceteri. Atque quod maius est, idem confessi sunt Poetae ipsi, qui hos fines semel iterumque transcurrere haud nefas iudicarunt. Peruulgata enim sunt Horatii ista in arte poet:

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Omne tulit punctum, qui miscuit vile dulci.

Ne alia similia ex Ouidio proferam saepius proficiente:

Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.

Adde, quod ingenium placida mansuescit ab arte,

Est studio mores conuenienter eunt.

Lucretius Philosophiae praecepta se dicit carmine complexum esse Libr. I.

Sic velui pueris absinthia tetra medentes

Cum dare conantur, prius oras pocula circum

Aspirant mellis dulci flauoque liquore.

Habemus igitur fundum Poeseos, Philosophiae doctrinam dulcedine propinatam. Aristophanes et si Ranis suis *) vexare videtur Euripidem, virum et Poetam se meliorem, tamen vsque adeo de vero Poeseos sine persuasus fuit, vt qui mores corrumperet, Poetae nomen prae se ferens, hunc morte dignum iudicaret. Neque his quidem acquiescit, verum etiam sub persona Aeschyli huius in populum atheniensem merita commemorat, Euripidem vero quod feminas amantes in theatro exhibuerit, grauiter accusat. Porro Catullus etiam videtur in ea sententia fuisse, vt existimaret, Poetae conuenire, si non verbis, certe moribus emendare alios, quod probat illud, castum decet esse pium Poetam. Nec Martialis, si veri Poetae munus ignorasset, sese turpia scribens excusasset eo, quod placere suo tempore aliter non posset. Denique Plautus **) et agnoscit verum comediae finem, sed propter populi ignauiam obtineri cum non posse, dolet his:

Spectavi ego pridem comicos ad istum modum
Sapienter dicta dicere atque iis plaudier,

Cum

*) Aët. IV. Sc. II.

**) In Rud. Aët. IV. Sc. VII.

❁ ❁

9

Cum illos sapientes mores monstrabant populo:
Sed cum inde suam quisque ibant diuersi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi iusserant,

Itaque persuasum nobis firmiter sit, omnis Poeseos verum finem esse Philosophiam popularem et communem vtilitarem. Quem si quis ex oculis dimiserit aut contrarium etiam securus fuerit, illum nequaquam artificis nomine cohonestandum sed tanquam corruptorem artis reiiciendum esse atque contemnendum. Nec potest forsan profecti pars vlla verae Philosophiae, quam non Poetae vel doctrinis suis instruunt vel exemplis. Et quisnam est, qui illos ipsos philosophos esse neget? nonne Aristoteles et Plato Poesin philosophoteram appellant, et libenter Poetarum testimoniis vtuntur? nonne Homerum recte dicunt virtutis genitorem? istum belli troiani scriptorem, qui teste Horatio, quid pulchrum, quid turpe, quid vile, quidue non, plenius dicat ac melius Chrysippo et Crantore. Tantum in praesenti cum Cicerone discamus tam longe retro spectare, et eos, a quibus vita hominum instructa primum sit, philosophos arbitrari eosque Poetas antiquissimos *). Cui Socrates applaudit apud Platonem, consuetudinem sibi cum Orpheo Musaeo, Homero, et Hesiodo in coelo ac collocactionem exoptans. Quod ne quis propterea cavilleatur, quia etiam flagitiosos in coelo collocant gentiles, audiamus eundem ita differentem: duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium; nam qui se humanis vitiis contaminassent et sese totos libidinibus dedidissent, quibus caecati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinassent, vel in republica violanda fraudes concepissent inexpiabiles, iis devium quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum. Qui autem se integros castosque servauissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seque ab iis seuocassent, inque humanis corporibus vitam essent Deorum imitati, iis ad illos a quibus profecti, reditum patere facilem. Quid? quod Sextus Philosophus scripsit: vere optimam ac morum illam genitricem Philosophiam e sententia Poetarum quasi radicibus enatam extitisse. Ex quibus omnibus satis luculenterque apparet ad Poesin diuinam nemini, nisi qui vicia eliminavit et proscripserit, liberum patere aditum, esseque signum minime fallax probae et ingenuae naturae versus facere, cum peruersi abhorreant, uti ab aliis musarum partibus, sic quoque ab illis pangendis.

Poetam igitur si quis rite definire velit, is habeat eum virum bonum Phaebo digna et grata canentem, non secus ac Plato, Cicero, Quintilianus, Seneca,

Tuscul. Quaest. Lib. V. Lib. I.

viri

B



viri sapientissimi politissimique oratorem esse voluerunt, cui finitimum immo parem, in hoc genere Poetam ducimus. Nec est fere causa, cur aliquis hunc de morum depravatione potius accuset, qui non idem quoque de Philosophis, Mathematicis, ac praeclarae cunctis omnium temporum hominibus facere debeat. Utile hic videtur exemplis, quam leuiter et friuole quidam in hac re iudicent, declarare. Quam ob causam prodeat in scenam Hebraeorum Davides, Poeta non venustissimus tantum, ut est apud Bellarminum, sed numeris omnibus absolutus. Cuius odas numine plenas quisquis attente voverit, sentiet vim verae Poeseos, ipsumque adeo Apollinem. Scilicet haec est illa mens diuinior, hoc illud os magna et praeclara sonans. In hoc est afflatus ille diuinus quo insignem Poetam efficit Plato censuit. Graecorum quoque omnium primos et maximos vates viros fuisse virtute et sapientia ceteris praestantiores, historiae docent. Euoluantur modo egregii Homeri et Hesiodi opera et laudati erunt satis, quorum laudes prolixius agunt Herodotus, Plutarchus, Eustathius, aliique. Et quis non dicat Euripidem, Sophoclem, Aeschylum, triumuiros optimos omnisque pietatis studiosissimos? an Lyricorum novem princeps Pindarus, sapiens, iustus, probus, atque decorus invenitur? veniant e Latinis in censum Ennius, et sapiens, et fortis, et alter Homerus; Virgilius ille Parthenius a suis cognominatus, omnibusque probatus; Lucretius naturae scrutator acutissimus innocentissimusque; Horatius Socraticus; cum enim in lyricis et satyricis carminibus delirat, non facile eum Poetam eximium esse aliquis suerit. Ipse quoque hoc sentiens libere de se fateatur:

Primum ego me illorum, dederim quibus esse Poetis,
Excerptam numero.

Mirari ergo non debet, si alicubi bonus et honestus non sit aliis, eius facietas legentibus. Agnoscat illud suum:

Et data Romanis venia est indigna Poetis.

Taceamus alios recentiores de Italis, Gallis, Batavis, et nostratibus, inter quos permulti religiosissimi fuerunt et etiam nunc sunt, quos certe valde puderet artis suae, si verum esset illud, quod refellimus, dicerium.

Sed nunc progrediamur ad alium, qui adhuc durioribus poetas incessiuit contumeliis, Parrhasium nempe, canis mordaci admodum similem. Hic enim criminatur illos grauissime, laudibus, quas ab antiquissimis temporibus merito pos-

possederunt, exiit omnibus, et tantum non eicit in exilium e republica litteraria plane exterminatos. Quod certe non videtur tam rigide fieri debuisse ab eo, qui Ovidium male explicauerat et Poeseos sacra forte ipse non attigerat. Ad Poetam legendum si accedas, iubet in arte sua critica statim prima fronte statueret, operam te daturum homini mendacissimo, qui rebus vel nusquam existentibus, vel certe tam distortis, vt quid verum falsumue sit diiudicare nequeas, distinare te studeat; qui verborum sententiarumque pompas adhibeat tantum, vt rationem obruat, metrum vero vt feruiat auribus; omnia denique eum in finem accommodet, vt et opus admirere et magnum credas esse virum ipsum Poetam. Ecquis unquam serio ita cogitavit ac scripsit? anne mirabile dictu et lectu aliquem eruditorum et humanioribus litteris imbutorum ita furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari? nescitne mendacium non esse, si quis rem falsam dicat praeter studium nocendi? quare igitur hoc obiicit nostris? Quid? Demosthenem accusamus de asini umbra aliosque oratores aliis apologis vtentes? Quin Socratem, Platonem, Aesopum, per festiuas et delectabiles fictiones docentes aliquo modo reprehendimus? Erasmus audiamus fabularum laudatorem et benignius de iis sentiamus. Quod si Parrhasius putet eas propterea vituperandas, quod, quid sibi velint non illico appareat nobis, idem cogitet accidisse sanctissimis parabolis; deinde aetates Poetarum reuoluat fabularum peritas, nec quod ipsi forte obscurum est, idem aliis esse confidat, contraque ipsa praecepta logica se scripta impingat. Reliqua, quae sunt in ista descriptione Parrhasiana, non modo a verisimilitudine et omnium sapientum iudicio, sed etiam ab aequitate ipsa abhorrentia, negligamus. Porro cum ex Homero Virgilio viris ceteroquin magnis lapsus quosdam non temere agglutinatos affert, rem facit ex opinione nostra neque novam neque magna aestimatione dignam. Pridem enim quaesivit Horatius: Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero? et recte subiecit illud, quandoque bonus dormitat Homerus. Quod probauit etiam Quintilianus addens: Magni auctores et labuntur aliquando et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animos et nonnunquam fatigantur. Cum Ciceroni dormire interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen.

Ad mores autem redeamus Poetarum, eosque videamus quo iure reprehendat Parrhasius. Incipit is a dicto quodam Ios. Scaligeri, quod Poetam nec non illorum amatorem virum magno esse voluerit animo, qui in omnes res hu-

B 2

manas

Institut. orat. X, 1.



manas vultu conspiceret sereno, nec gloriae, nisi quam ipse sibi pariat, nec diuitiarum appetens esset, sed omnes calamitates fortissimo perferret animo, inque hoc essatum noster verbis invehitur acerbissimis, inconsiderate autem immeritoque effusus. Quidni enim Poetae generosi? anne satis notum illud Ovidii de Ponto?

Non etenim census nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

Quis ignorat illud de Homero? Maenides nullas ipse reliquit opes: aut id quod de Orpheo extat:

Cum traheret Sylvas Orpheus et dura canendo
Saxa, bis amissa coniuge, moestus erat.

Iam hoc illud est quod et Poetae et Philosophi, vti docet satis tritum

Servus Epictetus vivebam, corpore claudus
Irus pauperie, gratus at ipse Diis.

libenter de se profitentur ipsorumque comprobat historia. Neque adeo habet adversarius illorum quod istis gradu eminenti obiciat ambitionem: vtpote quam Cicero recte ad omnes transfert et in Demosthene, Aristotele, Isocrate, itemque in Epaminonda et Scipione invenit; optimus enim quisque maxime gloria tenetur et laudis studio ducitur. At fit quam facillime, vt honesta et decora celebritatis cupiditas alicubi declinet incurratque viuperatores.

Summa petit livor, perflant altissima venti.

Sic se res habet, inquit Cicero, te tua, me delectant mea. Suum cuique pulchrum est.

Et quoad laudes, quas imperatoribus contra ius et fas tributas a poetis affert Parrhasius, videat, vtrum non idem factum sit ac fiat a scriptoribus, quotquot Principum gratia vsi sunt. Eusebium certe scimus, qui reprehendant in Constantino, Xenophontem in Cyro, Plinium in Traiano, alios in aliis. Et quid plures memorem, cum omnino nequeat iniri eorum numerus? At quoque multa vere praedicata a Poetis reperiremu, si modo aequitatem adhibicuri essemus atque iudicium. Certe pietatis fuit, quod Virgilius et Horatius,

aras

Ovid. Lib. I. Eleg. 10. Trist. IV. 1. Tuscul. Quaest. Lib. V.

aras et preces pro Augusti incolunitate sufficientes non putarint, verum ipsum vivum Diis seu coelitis annumeraverint, hancque ei felicitatem in terris ante gratulati sint. Praeterea, quod Ovidium Parrhasius reprehendit exilium suum non patienter ferentem, huiusmodi est, ut refutatione non egeat. Ipsum audiat sese defendentem:

Exigis ut nulli gemitus tormenta sequantur,
 Acceptoque gravi vulnere flere vetas.
 Ipse Perilleo Phalaris permisit in aere
 Edere mugitus et bovis ore queri.
 Cum Priami lacrymis offensus non sit Achilles,
 Tu fletus inhibes durior hoste meos.
 Da veniam potius.

Deinceps quod Horatium corrigit, in arte sua poetica boni praeceptoris munere fungentem, perfectam Poetam formantem, eique alibi tantas virtutes tribuentem, perinde est, ac si quis Quintilianum et Ciceronem in oratore, et Philosophos in exacto sapiente describendo, refellere velit eo, quod alium illi sistant, alium invenire liceat. Nonne praestat pulchrum omnibusque numeris absolutum ob oculos nobis poni Poetam, Oratorem, atque Philosophum, ut, quantum ab eo absumus ipsi, quantum distent alii, eluceat clare, nos autem vnius cuiusque muneris indolem veram, formamque praestantissimam animo concipiamus? Quis negabit, neque vllum talem vere extitisse, nec vquam extiturum, quem illi magni viri fingant, attamen eo modo instituendum esse dicunt omnes iure maximo.

Nemo melius et accuratius imaginem Poetarum expressam animo effinxit et veritati simillimam praebuit, nemo rectius et exquisitius ostendit illos fructus vberimos, ex poetices studio in rem publicam et communitatem fluentes quam olim Horatius, in docta et expolita epistola Augusto transcripta, vbi vere concinne et eleganter se exserit:

— — — — Vatis avarus
 Non temere est animus: versus amat, hoc studet vnum:
 Detrimenta, fugas seruorum, incendia rider:
 Non fraudem, facio, pueroue incogitat vllam
 Pupillo: viuic filiquis et pane secundo:

B 3

Mili-

Ovid. Trist. X. 1.



Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi.
 Si das hoc, paruis quoque rebus magna iuari;
 Os tenerum pueri balbumque Poeta figurat:
 Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem:
 Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
 Asperitatis et inuidiae corrector et irae:
 Recte facta refert: orientia tempora notis
 Instruit exemplis: inopem solatur et aegrum.
 Castis cum pueris ignara puella mariti
 Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?
 Poscit opem Chorus, et praesentia numina sentit:
 Coelestes implorat aquas docta prece blandus:
 Auertit morbos, metuenda pericula pellit
 Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.

Sed etiam haec intacta non reliquit Parrhasius, et hinc illincque conuellenda aut saltem refecanda quaedam putauit, plane non persuasus, Poetarum animum ab omni auaritia esse posse alienum, cum tamen, egestatem bonarum mentium comitem plerumque iis adiunctam fuisse, doceat Historia, et satis firmetur Simonidis exemplo, inter naufragos aliquando omnes res pretiosas despicientis, et magno animo, sua secum esse omnia, ingenue profitentis. Nullum vitium retrius auaritia, nullum maiora scelera ac maleficia gignit; fidem enim, probitatem, ceterasque bonas artes subuertit, pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, et omnia venalia habere docet. Quare omnia ingenia praeclara semper pecuniae studium neglexerunt, nec unquam sapientes tale quid concupiuerunt. Et si temporum iniuria sociorum defraudationes, pupillorum expilationes immigrarent in rem publ. multique caedibus, insidiis, perfidia, luxu, ac eius generis vitii se contaminarent; tamen ab horum contagione illaefos atque illibatos se seruarunt Poetae; maluerunt tenuissimo vii victu, quam pro multorum more, in rebus augendis, nefarias concipere fraudes. Atque eundem sensum prae se fert Horatius in odis, sermonibus, et epistolis; et certe in omnibus suis aequalibus obseruauit. Cicero quoque de Anacharside, Scytharum illo legislatore, et Poeta sanctissimo, hoc refert in Tusculanis ita scribens: An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates Philosophi facere non potuerunt? Cuius epistola fertur his verbis: Anacharsis Hammoni Salutem. Mihi amictui est scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra, pulmentum fames; lacte, caseo, carne vescor.

Quare

Quare ut ad quietum me licet venias, munera autem ista, quibus es delectatus vel ciuibus tuis vel Diis immortalibus dona. Omnes fere Philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, hoc eodem animo esse potuerunt. Haec Cicero: quae, si Horatium sequaris, ad omnes mansuetiores musas transferre licebit, praecipue autem Poetas. Nam quod subiicit Parrhasius, hos neque meliores nec peiores ceteris esse, nihil valet. Primos enim maximos, et omnes omnium aetatum vates, superiores reliquis hominibus fuisse virtute et sapientia, imo debuisse esse omnes, ex artis indole luce meridiana clarius est.

A militandi quoque onere eos liberat Venusinus, domi potius profuturos spondens. Et hic Tyrtaeum et Alcaeam milites pariter atque Poetas obiicit Parrhasius. Quod idem est ac si quis Amazones fortes praedicet, et propterea virtutem viris maxime conuenire neget. In armis certe cum fuerunt, carmina non composuerunt Alcaeus, Tyrtaeus, I. Caesar, Scipio, alique. Docuisse artes bellicas laudi fuit illis sane maiori, quam tractasse. Alexander igitur recte, quod semper secum habebat, Homeri poema, bellicae virtutis institutionem vocabat, quoniam eo mares animi in bella strenue exacuuntur. Et Scipio Ennium in castra secum duxit, sed spectatorem et scriptorem praeliorum, non autem commilitonem. Germanicum Caesarem a Poesi abstraxerunt bella, auctore Quintiliano; quod mehercule! idem contingeret haud dubie pluribus, si castra sequi cogeres, damno, an emolumento patriae nescio maiore, saltem minore cum ornamento. Si quidem permulti crediderunt mille prius existere posse imperatores, quam vnus Homerus aut Virgilius proueniat.

Nec dum bonum virum ac salutarem reipublicae facit Horatius Poetam, sed, etiam informatorem iuuentutis, ducentemque ad commodos mores. Quod autem de poematis solis iisque recte pronuntiandis, non de Poetis ipsis accipit Parrhasius. Quasi non constet illos saepe saepius liberis adhibitos fuisse praecceptores apud Graecos et Latinos. Nonne Agamemnon domus et familiae rectiorem huiusmodi constituit apud Homerum? habuitne Nero Senecam; Gratianus Aufonium; et Cato Ennium praecceptorem? O quam multos formarunt iuvenes praecceptis suis amicis! quam multos abstraxerunt a foedissimis vitiis inuidia nempe et ira! Quid Tragici nisi exempla vindicatorum scelerum repraesentant? Comici nonne asperis moribus improbisque factis fortunam

per-

Tuscul. Quaest. Lib. V.



peffundatam, virtute autem firmatam et stabilitam sistunt? Quid Virgilius heroicis nisi pium Aeneam ad imitationem canit? Et tamen Parrhasius exempla, quae moribus prosint, Poetis adimit omnibus, nec quidquam nisi sententiaris quasdam relinquit; immo ne illas quidem sed a Philosophis sumtas esse arbitrat. Hic ego velim nominari Philosophos qui ante Homerum fuerint; refelli, qui Philosophiam a vatis promanasse confitentur; proffigari eos, qui maximos sapientes Poetas dicunt. Verum enim vero haec res disputatione non eget, cum iam pridem ab aliis magnis Viris Cicerone et Quintiliano confecta sit.

Denique Poetam auctorem sollemniū rogationum, et sacrorum carminum, in primis saecularium, quibus multam prosperitatem coelitus impetrent homines, facit Horatius. Quod vbi non potest negare noster, eos reprehendit, qui ligatis quam solutis precibus felicius permoueri Deos autumassent, ceu ignorantis speciem prae se ferens, in precibus maxime optandum esse affectum sensumque dicentis, eumque carminibus excitari ac foueri multo magis, quam soluta oratione. Vnde in nostris quoque sacris carminum vsus et concentuum est. Neque affectum solum, verum memoriam quoque sentimus numero illo syllabarum iuari, multaque effici, quae ab alio sermone frustra expectemus. Quod viderunt sane Homerus, Callimachus, Pindarus, et Pythagorei, qui non hominibus sed et floribus odas dederunt in Deorum laudes decantandas. Reliqua est controuersia de Poetarum scopo, quem esse doctrinam sapientiae placuit fere omnibus, quotquot de illis aliquid religiose cogitarunt. Parrhasio fecus videtur; at sine vlla ratione. Nam regnat profecto in praestantibus Poetarum operibus illud propositum homines reddendi sapientiores et beatiore. Id quod vel in Aristophane Rex ille Persarum animaduertit, quem dixisse scribunt, illum sibi populum timendum videri, qui Aristophanis censuris corrigeretur: itemque Chrysolthomus, qui adeo dilexisse fertur comicum vt puluinarum semper subiectum haberet. Illud Euripidi Philosophi nomen peperit; Socratem tam amabilem reddidit; Homerum temporum et gentium memoria ac celebratione nobilitauit; id Orpheum, Solonem innumerosque alios extulit; id Pindarum in templa introduxit, aureis litteris scribi suasisit, et patriam eius seruauit; id Virgilium Augusto et Romanis commendauit, nationemque omnem Poetarum, non in theatra solum, verum quoque in aulas, in ludos literarios, et optimatum domos intromisit, lauro, hedera, quercu coronauit, probauit magistratibus, principibus et omnium nationum ciuibus. Neque audiendus est Parrhasius, cum in contrarium assert, non patere Home-

ro,

ro, Iliadem suam scribenti, propositumne fuerit concordiam, an aliam virtutem praecipue laudare popularibus suis. Nam si illud demus, quod a Grammaticis et Rhetoribus profectum, ut vna quasi palmaria virtus toti operi praeficiatur, non propterea obtinebit hic, delectare illum voluisse magis quam prodesse. Habet sane Ilias suum argumentum in principio expressum. Quam dispositionem qui legit, iram displicuisse Homero, exinde colliget; nec minus totum virtutis ambitum, pietatem, iustitiam, concordiam, modestiam, misericordiam, obedientiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, patientiam, diligentiam omnium ordinum personarumque ibidem inueniet. Officia cuiuslibet generis docet parens ille omnis virtutis et fons sapientiae. Qui iure meritoque sibi vindicare potest illud Pythii Appollinis apud Ennium:

Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex

Incertis certos compotesque consilii

Dimitto, ut ne res temere traudent turbidas.

vel Terentianum scitum morale:

Inspicere tamquam in speculum, in vitas omnium
lubeo, atque ex aliis Sumere exemplum sibi.

vel Tullianum sapiens effatum:



Et nimirum haec est illa praestans et diuina sapientia, et perceptas penitus et pertractatas res humanas habere, nihil admirari cum acciderit, nihil antequam euenierit, non euenire posse arbitrari.

Attulimus ergo contra Parrhasium non quae sufficiunt, sed quae permittit temporis et pagellarum angustia et ratio. Nec tamen arbitramur adhuc quemquam fore, qui nobis non in iis assentiatur, esse continuum finem Poeseos prodesse, non solum delectando et consolando, sed multo magis instruendo vitam mortalium. Qua in re cum sapientius feliciusque Poesis versetur quam Ethica et Eloquencia, moribus inimicam vere talem non habendam esse liquet. Non dicere turpia et foeda, nisi exiles mentes: Homerum ac Virgilium nullo reperiri loco nisi, sapientiae et virtutis doctores: Musasque verorum Poetarum aequae castas esse ac sic dictas virgines vestales.



Et nunc nihil restat, quam ut propius accedamus ad propositum huius scripti libelli. Sunt nempe, ex Gymnasii nostri primi ordinis civibus, quidam ingenii erectioris multaeque spei iuvenes, in quorum societatem et secundae classis discipulos quosdam adire iussimus, quos simul, vires suas mentis et eloquentiae profectus periclitaturos, in palaestram oratoriam producemus. Ad quos benigne audiendos, recteque illorum dicendi infantiam tentandam, ut frequentes conveniant, pro sua in nos voluntate et favore, omnes Patronos atque amicos bonarum litterarum officiosissime rogamus. Non autem quoque tacere possumus, quosdam horum alumnorum diligentiores aliis, et feliciori cum successu studia sua tractasse et in moribus non parum profecisse; inter quos eminent Hauptnerus, Guntherus, Pochhammerus natu maior, Bobbe iunior, et Grofchoppius, qui omnes orationes suas, proprio, ut aiunt, Marte elaborant; hoc scilicet discrimine ut in aliis minores in aliis vero adhuc grauioribus naevi abstergerendi essent. Qui ex horum numero academiam petitori sunt, hos amanter et grauius monere volumus, ut pro sua quisque parte eas virtutes, quas exseruerunt, exerceant, amplificent, et Deo adiuvante ab eis sibi vitis cueant, ad quae tum natura vnus cuiusque, tum vitae ratio academica proclivior est. Sic fructus scientiarum laetissimos concuiibus suis efferent indeque maxima reportabunt praemia.

Ver-



Verzeichniß
der Reden und Gespräche
 welche

den 2ten May 1776 auf dem hiesigen Königl. reformirten
Gymnasio gehalten werden.

- 1) Emanuel Wilhelm Gottlieb Moriz, aus Bernburg ziehet die wahre und eigentliche Grenzlinie zwischen dem Helden und grossen Mann, und erbittet sich der Zuhörer geneigte Aufmerksamkeit für alle folgende Aufsätze, deutsch.
- 2) Christian Lebrecht Gottfried Kretschmar, aus Zelle sucht einige wichtige Hindernisse zu entdecken, wodurch die Neigung zur Wahrheit geschwächt, oder wohl gar unterdrückt wird, deutsch.
- 3) Christoph Lebrecht Hauptner, aus dem Bernburgischen, zeigt die herrlichen Belohnungen, womit die Athenienser Verdienste und Tugenden bekrönt, lateinisch.
- 4) Johann George Haupt, der Ältere, und Carl Conrad Haupt, der Jüngere, aus Hamburg, unterreden sich über die Vorzüge der ältern und neuern Zeiten, in Absicht auf Künste, Geschmack, Wissenschaft und Tugend, deutsch.
- 5) Christian Wilhelm Pochhammer, der Jüngere, aus Berlin, erdichtet einen besondern Vorfall, wodurch der Janus Tempel zu Rom geschlossen worden, in poetischer Prosa.
- 6) Franz Heinrich Ludewig Wilhelm Bobbe, der Jüngere, aus dem Dessauischen, beweiset daß die, welche ihrem Vaterlande durch Künste und Wissenschaften Nutzen bringen, eben so sehr zu schätzen sind als die, welche sich im Kriege hervorthun, deutsch.
- 7) George Friederich Günther, aus dem Bernburgischen, stellet die Eignigkeit und Uneignigkeit einander entgegen, und bestimmet auf der einen Seite den grossen Vortheil, auf der andern den unausbleiblichen Schaden der daraus erwächst, lateinisch.

8) Wilh



- 8) Wilhelm Heinrich Brochhausen, aus Berlin, Palámon, Johann Ernst Carl Kessler, aus Halle, Hylas, David Friederich Zering, aus Stolpe, Philotes, halten ein Schäfergedicht über einen vergrabenen und wieder gefundenen Schaf in deutscher Sprache.
- 9) Friedrich Wilhelm Leopold Moriz Groschopp, aus Berlin, handelt von dem Einfluß der Poesie, und besonders moralischer Gedichte, auf Jugend und gute Sitten, deutsch.
- 10) George Friedrich Pochhammer, der Aeltere, aus Berlin, bemühet sich darzutun, daß Leser und Schreiber der Satyren oft vieles zu ihrer nachtheiligen Beurtheilung beitragen; und nimmt hernach Abschied von unserm Gymnasio, und danket für die angenehme Gegenwart und gütige Anhörung, deutsch.



AB 155 626

155626

AB 155626

X 2510943


VB 18

ULB Halle

3

007 500 270





6
1176

LORVM FALSISSIMAS SENTENTIAS
 DE
 VM CHARACTERIBVS
 IN ETIAM POESI IPSA
 DISQUISITIONI SVBICIT
 ET AD
 MORATORIUM
 IN
 ILLVSTRI REFORMATORVM REGIO
 MAII HORA 2 POST MERID. MDGCLXXVI
 E SVBEVNDVM CELEBRANDVM QVE
 VMANITATIS PATRONOS
 ET AMICOS
 OFFICIOSISSIME INVITAT
 VS CAROLVS ATHENSTAEDT
 GYM. RECTOR.



HALAE
 XPIS CVRTIANIS.

